
PLANTA
Felicitatis Publicæ,
in
SANATO PEDE
SERENISSIMI
FRIDERICI AUGUSTI
Poloniarum REGIS,
&
ELECTORIS Saxoniæ;
Ad
Populorum Solatium
Ab
Equite Polono
ERECTA.
Anno Domini MDCCXXVII.



VARSAVIÆ
Typis S. R. M. Scholarum Piarum.





REX SERENISSIME.


Ivè Officiosas dolentium lachrymas, sivè gestientium gaudia videas, nihil in affectibus nostris mediocre, moderatum nihil, invenies REGUM AUGUSTISSIME. *Raptamur potiùs, quàm ducimur à mœroris extremitate, ad voluptatis excessum; & quantùm possint in utramq; partem humanæ Passiones, ijsdem oculis, eodem animô experimur. Intentatum illud integritati nostræ magis, quàm* TUO *Corpori; nostris justiùs cervicibus, quàm* REGIO *Pedi vulnus; quem non*

non perstrinxit? Expalluit ad feralem ictum, tanquàm ad fata sua Polonia, & penè exanimis intèr lachrymas adhuc squalleret, nisi hodie à convalescentis PRINCIPIS vultu nitorem assumpsisset. Nimirum publica Fortunæ Lechicæ expectatio, ita à spiritibus Tuis pendebat; ut ipsa populorum vita nihil sit aliud, quàm Tuæ salutis felicissimus fructus, & eventus. Respiceres utinam totius (quâ latissimè patet) Poloniæ pallorem, suspiria, singultus, & suscepta quâdam contentione pro incolumitate PRINCIPIS vota. Et licèt quidem invidiosa sit præteritorum luctuum ad præsentis diei Lætitiam, Collatio; ita tamen in libertate Nostra diligeris, ut necessitate quadam amoris, nec in periculo TUO simulari lachrymæ; nec in prospera valetudine gaudia dissimulari possunt, aut abscondi. Admitte ergò REGUM Optime: ambitiosa subditorum TUORUM oscula ad Sacratas Plantas, forsitàn adhuc à lachrymis Populorum madentes. Admitte hæc pauca folia sincerissimi Voti Charactere insignita, & à cruentis Pedibus svaviter alludentem Poëtam non reijce, qui obligatô magis animô, quàm Metrô, Suô & totius Gentis studiô precatur; ut vitam TUAM quàm nobis adeò caram clementia effecit; Dij velint servare perpetuam.



POEMA.

ARGUMENTUM.

INfernales Furiæ, revirescentis Poloniæ statum, sub felicissimis Serenissimi AVGVSTI auspicijs, ægrè admodùm ferentes, cùm Fortunam Regni aliter expugnare non possent, salutem Principis variô dolorum concursu aggrediuntur: quam postquàm longiùs crudelitate suâ exercuerint; abscissô tandem eo digitô, qui solus in Divino Principe Mortalis erat; immortalem Serenissimo AVGVSTO Vitam, Famamq; relinquentes: Novam felicitati publicæ Plantam erigunt.

SIstite propensos luctus, lachrymasq; fideles,
Tergite siccatis oculis popularia vota:
Vivit adhuc Dominus: digitô non ampliùs unô
Qui nupèr rigidæ mortis distabat ab urna;
Vivit adhuc PRINCEPS; & complanata cicatrix
Erigit obductô felicem vulnere Plantam;

In-

In qua se Lechiæ poterit fundare voluptas
Auxiliô suffulta Pedis, qui solus iniquæ
Jure potest tandem molimina sistere sortis,
Publica Sarmaticæ referendo fulcra Saluti.
Phæbe Pater; teneram sic quæso necte Pöésim
Sic faciles animos meditatis lusibus apta,
AUGUSTUM nè lædat adhùc cæsura cruentum.
Sed potiùs blandô mea Musa soluta lepore,
Svavibus obsequijs vulnus mulcendo molestum,
Non deforme Metrũ Pedibus subjunge MONARCHæ.
Si Tibi præteritos casus, conferre modernis
Undiq; delicijs fas est: præsenteq; risu
Antiquos si fortè juvat pensare dolores,
Mutatum in melius cognosce Polonia vultum.
Ferrea belligero momenta rigentia Marte,
Transfudêre dies solidos potiore metallo,
Pulchra redit Regno facies; & puriùs aurum
Felices iterùm gemmis interserit horas.
Nuper ubi geniti Cadmeâ messe, feroces
Conflixêre viri: cerealia dona maniplis
Exundant, plenisq; natat modò campus aristis,
Qui nupèr tristi populorum strage tumebat.
Non macilenta fames, tenues depascitur Vrbes
Imperij; verùm niveis invecta quadrigis.
Copia luxurians, reseratô prodiga cornû
Pacificas effundit opes; & rore beatô
Prosequitur vulgi requies opulenta labores.
Nec sibi sola legit numerosas Lechia messes,
Ho-

Hostibus ac socijs, paritèr submittit apertis
Horrea lautitijs, & quos terrore peremit
Sarmaticus plerumq; valor, sustentat eosdem
Pane suô, nutritq; novas in prælia vires,
Cunctorum irritans ditissima gleba palatum.
Iratis olim superis sævissimus æther,
Evomuit pavidum, virus lethale per orbem;
Nempè venenosæ sic pestifer halitus auræ,
Exeruit Cauros volitantes, ut nec ad ipsos
Aspirare Deos subitâ sinè morte liceret,
Nunc iterùm placidus Zephyris clementibus àër
Afflatu leviore volat, Cœliq; benigna
Temperies, removens contagia fœda Nothorum,
Alternat puris suspiria candida ventis.
Deniq; sic diri cicurata protervia fati,
Sic justö propensa fluunt elementa tenore,
Vt nisi scriptorum testetur Fama ruinam,
Nulla ferè videas rediviuo vulnera Regno.
Bellorum quidquid strepitus violenter abegit,
Comiter arridens, & mille favoribus aucta
Restituit Nostro rursum Fortuna decori.
Viderat hoc Munus Patriam mulcentis Olympi,
Livida succesŝu Discordia facta secundô,
Atq; per effractum, caput extulit illud, avernum,
Quod propè sexcenti spiris cinxêre colubri,
Impexas lambendo comas; adsibilat angvis
Iratæ, caudâq; latus trepidante flagellat.
Sangvineo stat in ore furor, fœdasq; salivæ

In-

Infecêre genas, viridi fætore fluentes
In diras & probra Deûm; mox lumina Cœlo
Invidiosa ferens, sic turpibus oscitat auris:
Vltrices scelerum Furiæ, quas noctis opacæ
Squallor alit; cæciq; fovet quas Curia Ditis,
Eumenides: ferale reis mortalibus omen
Thysiphone, belliq; dolis insignis Enyo:
Tuq; Megæra nocens, rabidâ quæ vesceris irâ,
Pectoris invidiam propriô pascente dolore.
Vosq; aliæ steriles Erebi dominantis alumnæ,
E stygia lethale caput proferte palude,
Et lacerate comas; siquidèm quam noster acerbis
Casibus afflixit livor, quam nostra libido
Mille ferè facibus belli ferventis adussit,
Floret adhuc, vernatq; suis pulcherrimá donis,
Et veluti nostro vitium factura furori
Tot lacerata malis, & tot jactata procellis
Lechia; securæ Pacis requiescit in vlnis.
Nescio quod Numen tacitis conatibus obstat,
Nec sinit extremis tumulari Regna favillis.
Sed quid in invitos etiam mea crimina Divos
Conijcio: non cura Jovis, cœliq; favores
Auxiliô propiore juvant; non Martis amici
Ferreus Vmbo tegit: sed dextra potentior omni
Influxu, superosq; etiam vincentia duros
Brachia, Regnantis sibi subdita sceptra tuentur.
AVGVSTI sunt ista reor documenta lacerti,
Quòd cum sæva strepant vicinis classica terris,
Paci-

Pacificô Lechiam demulcent Otia somnô,
Hâc populos moderante manû, quæ sola refellit
Quidquid ab adverso jaciat vibretq; Gradivus.
Dormit in AVGVSTI, veluti sub grandibus alis
Spes secura sinu, nec tandèm curat Avernâ
Quid possint rigidæ meditari sede Sorores.
Illô Sarmaticam DOMINO gestante Coronam,
Quem Primum fecere Dij, Fortuna Secundum
Reddidit obsequijs ad Regia jussa paratis.
Nullum robur habent, nullum discrimina, virus,
Scilicèt ingenium Dominantis mite, sequendo,
Deposuêre suum sævissima Fata rigorem.
Ergò quid infausto, miseræ residemus in orco
Eumenides, vanasq; domi consumimus iras.
Dùm rabies nostro superest vesana furori,
Principis est tentanda salus; Regisq; per ictum,
Vulnera Sarmatiæ sunt infligenda dolenti.
Sicut enim Sylvas devastatura securis,
Postquàm proceras ad cædem legerit ornos,
Non distenta secat numerosis brachia ramis,
Singula nec spoliat folijs virgulta caducis;
Ast intercisâ truncum radice revellens,
Langventem sensìm resonans ferit Ascia plantam,
Attoniti grandem nemoris faciendo ruinam;
Sic etiam nobis non per vulgaria Fata
Grassandum, verum Regalis Planta petenda est.
Cujus ab influxu florentia Regna repentè,
Arescent; perdetq; suum Gens tota vigorem.

Aut

SuAvteluti quondam Furiarum percitus œstrô,
Intèr spumantis crudelia pocula tabi,
Civilis belli gustum facturus, amicis
Ipse propinabat patherâ fumante cruorem,
Quô nimiùm madidus Catilina vovebat, ut unum
Romulidûm protùnc gereret Respublica collum,
Possit ut unius gladij mucrone resolvi:
Sic nobis hodiè similem spirantibus ausum,
Jàm votum hoc implere licet; nàm Principis intrà
Augustum pectus, Regni fortuna locata,
Cum Domino pariter fatis perimetur ijsdem.
Et veluti sors ipsa foret concreta Monarchæ,
Delicias, pacisq; decus, florentis honorem
Sarmatiæ, tandèm cum una cervice metemus:
Dixit; & instinctûs rem perfectura maligni,
Implevit reliquas simili livore sorores.
Est locus arcano perquàm funestus in orco,
Atria protendens nigri Plutonis ad aulam,
Nox ubi perpetuis radios exosa tenebris,
Infinita tenet mortalis toxica vitæ;
Illic dira lues corrosis putrida membris,
Corpora dilanians, per apertum pascitur vlcus,
Illìc occulto lentissima febris in igne,
Humorem sensìm succi vegetantis adurit.
Hic lethargus iners, torpore pigerrimus altô
Dormit, & invisæ conjungit somnia morti:
Illâ parte jacet rugis concisa senectus
Et lucis pertæsa suæ; quam frigida tussis
Exer-

Exercet, quatiendo latus miserabile, motû.
Indè sedet macies, pallor, vertigo, Tenesmus,
Lenta pthisis, vitioq; simul repletus aquosô (stum.
quallet hydrops, illinc gemitus, Timor, atq; mole-
Continuò siccis pulmonibus asthma laborat.
Deniq; morborum reliquæ sinè nomine larvæ.
Ex illo plerumq; specu prodire videntur.
Hæ veluti tristes Erebi Ditisq; ministræ,
Traijciunt umbras per stagna Charontis, ad orcum;
Quas Libythina ferox supremâ nocte resolvit.
Ut stetit antè fores furibunda Medusa patentes
Carceris illius, socias conclamat, & hydris
Vrget, ut emissæ sævâ regione catervæ,
Agnatum pridèm furijs spargendo venenum,
Principis inficiant corpus; quod mole jacentis
Imperij fractum, curis Regalibus ægram
Laxabat mentem; proprioq; perinde dolori
Fecerat illicium, quædam patientia. Quarè
Mille laborantem circumstant fata salutem,
Collatâq; simul rabie, certare laborant
Innumeræ Pestes, cui protunc jure nocendi
Conveniat potius tàm magnæ gloria cœdis.
Quælibet ostentat validas in vulnera vires,
Et faciles ad cuncta manus; sic mortibus ipsis
Ambitio quædam est, Domini præscindere filum,
Vt niteat rapto lethalis pallor ab ostro.
Lurida custodit morborum turba cubile,
Inquiritq; dolor, quâ possit parte latentem

Prin

Principis afflicti citiùs deducere vitam.
Imprimis tentatus apex eſt verticis; in quo
Conſilij ſemper Sacraria pura vigentis,
Conſtituit quædam Divinæ mentis imago.
Sed deſperatô mors langvida protinùs ictû
Non potuit tetigiſſe Caput, quod jàm altiùs omni
Porrectum fato, Regni fortuna levavit.
Vndè ſuas urgendo minas, mox vultibus illis
Inſidiata fuit, quibus eſt expreſſa ſeveri
Forma ſupercilij, ſic juſtô ducta colore,
Vt placido præſens Majeſtas miſta lepori
Temperiem quandam moderato pingat in ore.
Clementes oculi, faciles poſcentibus aures,
Quales eſſe Dijs, veterum commenta loqvuntur:
Sed nec in hos potuit virus reperire decores,
Conficiens ſenſim pulcherrima quæq; ſenectus.
Ergò pectus adit, longis inſigne trophæis
Et robur validô toties Mavôrte probatum,
Explorando fibras, quas nemo fortiùs unquàm
Rege meo, belli per prælia dura tetendit:
Tam grandes meritò timuit mors ipſa lacertos.
Extremumq; genu veluti pudibunda requirit,
Vulneribus poſcendo locum; ſibi ſed nec in iſtis
Invenit deluſa ſcopum, vindicta columnis.
Altior humanis ſiquidem mens illa periclis,
Communis pridèm, poſuit diſcrimina ſortis.
Senſit ubi Lacheſis talem laſſata laborem,
Nonnihil ambiguo voto dubitavit, & inquit:

Vidimus ablutum ſtygiæ torrentibus undæ
Infantem, quem fama vetus cantabat Achillem,
Cujus ab inſolito venientia membra lavacro
Nullum ſenſerunt medicati corporis ictum,
Et tamen indulgens aliquid natura reliquit,
Vndè ſuum poſſet mors inſtillare venenum.
Perditus eſt Plantâ, toto tutiſſimus Heros
Pectore; pugnantemq; virum pars una feſellit.
Tentabo: faciamq; novum reſoluta periclûm
Ipſa ego Regnantis pedibus ſubjecta rogabo,
Vt velit humanum vulnus patiendo fateri,
Qui reliquô præfert manifeſtos corpore Divos.
Dixerat, atq; ſuam (quam tunc fortaſsè gerebat)
Excuſſit furibunda facem, ſcintilla repentè
Vna cadit, casûq; pedem delapſa ſub imum,
Membra tumeſcenti perimit vitiata calore.
Gliſcit in internis lethalis flamma medullis,
Quam cùm febris atrox nociturô ſpargeret æſtû,
Exultat Libithyna ferox, noviterq; repertis,
Vulneribus, ſeſe mortalia Funera paſcunt.
Viciſtis, tandèm furiæ, non deſidis orci!
Viciſtis! ſed Veſtra minor victoria: quippè
Tot meditata dolis, tantô concepta paratu,
Vix Domini tenuem rabies pertingit ad ungvem;
Vreris invidiâ graviùs, quàm vulnere PRINCEPS
Theſiphone; Magnoq; rubes confuſa cruore.
Qui ſacer ignis erat, dicendus jure profanus
Ille venit, poſtquàm liventis in ulcera Regni
Exitiô, Lechicum voluit temerare ſerenum.
Interea tacitos nè ſerperet ardor in artus,

Dividit infectas incisio lubrica venas.
O opus! o factum nimiùm crudele! tot ante
Bellis intactum Medico permittere corpus;
Id tamen & votum populi pietasq; requirit,
Svadet & orbandi quædam compassio Regni.
Ergò cruentatæ posituri signa saluti,
Ducite felices plagas, hoc pendet ab ictu
Imperij vitæq; lucrum prænobile. Mirum est,
Vix acies chalybis facinus ferale peregit,
Spes animis fœcunda redit, redit ipse Polonis
Regnator; parvâq; neci mercede solutâ,
Delicijs sese nostris totissimus offert. (censem
REX AVGVSTE, quidem Tibi non commotus ad
Chirurgi tunc vultus erat, sed colla tremebant
Lechiadûm, nostris veluti cervicibus ictus
Instaret: faciles Domini qui sciderat artus.
Expavit Gens tota suum cum Rege dolorem
Atq; Tuo fortassis adhuc in Vulnere PRINCEPS,
Speq; metuq; simul populorum gaudia pallent.
SangvineusFRIDERICE quidemTibi defluit humor
Sed nobis veluti quodàm torrente redundat
Tempestas; tenues quæ distillata per imbres,
Elicit insolitos luctus, & saucia tecum
A lachrymis pupilla madet, planctùq; fideli
Singultus populi, laceratos abluit artus.
O! si vidissem rubei dispendia roris!
Forsitan attonito tunc exclamare liceret:
Siste cruentatum tandem manus improba punctum;
Muricis hic cruor est: Tyrium qui tingere vellus,
Et posset Patriæ meliorem ferre colorem.

Sed

Sed tamen ulteriùs nolo pia tela morari,
Scindite Chirurgi fortissima membra Monarchæ.
Et siquidem studiô mors est sic dura protervô,
Vt velit AVGVSTI partem retinere dolentis,
Permitto: spolium digiti gerat illa recisi
Nobis obveniat reliqui clementia vultûs.
Vivat & in nostram Majestas integra sortem,
Sufficiet frons illa meæ servata voluptæ.
Sicut enim evulsô non creditur ungve valorem
Amisisse Leo, nec tardior ille volatus
Est Aquilæ, cui pluma levi detonsa lacerto
Æthereos inter cursus defluxit ab alis;
Sic etiam FRIDERICE Tibi non obstat acerba
Plaga pedis; nunquàm rapient hæc vulnera robur,
Nullaq; Regnantem faciet cæsura minorem.
Sis licet afflicto mutilatus corpore; verùm,
Magnus adhùc remanes, ac integer, atq; cruentâ
Victurus calcare potes discrimina plantâ.
Livida cumq; nihil Mors Majestatis in ictu
Proficeret, fidum voluit tentare Flemingum.
REX gemit, atq; suô tulit ægriùs ille dolore,
Quòd sibi gestorum tantâ virtute probatum
Sors inimica Virum tetigisset: nuper adactum
Qui potuit digiti sinè murmure cernere vulnus,
Consilij doluit venerabile perdere membrum;
Cariùs appretians proprijs benefacta medullis.
Vidit: & ingentem Lachesis testata stuporem,
Dum simul alterius fatô moreretur uterq;
Reddidit antiquam Domino Servoq; salutem.
Hæc sunt prima Tuæ vestigia fortia vitæ,

O

O AUGUSTE Pater; qui non contentus amicæ
Lucis eras fructû, nisi mitia (credo) vicissim
Munus jdem stabili tribuissent fata Ministro,
Et sic, quas nuper tecùm trux fama peremit
Spes pariterq; animas redimis vivendo Tuorum.
Ulteriùs rapidæ ne me impetus auferat auræ,
Sistimur, ad Plantæ tutissima fulcra cruentæ;
Atq; cicatricem per basia mille fovendo,
Hoc placet avulsos appendere carmen, ad artus:

Hic digitus pro Rege jacet, pro corpore membrum,
Attamen immensum replet pars ista sepulchrum,
Scilicet AUGUSTO nihil est in Principe parvum.
Magna nimis pars hæc, quæ pelle recisa dolente,
Vulneribus proprijs, funus tam grande redemit.
Vivit, & est magno pariter defunctá perîclo
Majestas, quæ triste neci solvendo tributum,
Salvavit se cæde sua; funusq; peregit
Parte sui; posthâc jam non moritura potestas.

Ponimus ista Tuo PRINCEPS monumenta dolori
Optamusq; simul votis communibus omnes;
Vt nunquam Lachesis, pedibus calcata resurgat.
Et siquidem extremò mors sparsit ab ungve venenum
Nunquam, vel certè serò, speratur ad ipsum
Peruentura caput, quod tàm sublimis origo,
Funeris humani super omnes extulit ictus,
Quando Divino facies vicina nitori,
Nil habet in totâ quòd sit ferale figurâ.
Innumeros dispone dies, vitæq; manentis
Sume voluptatem, & mortali parte recisâ,
SEMIDEVS tandem Rex vive perennibus annis.

